



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Heredes de parentum exceßibus satisfacere tenentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

C A P. II.

Alexander III. Claromontano episcopo.

Literis tuis quas I. lator præsentium exhibuerat, continebatur, quod cum pater eius multis fuisse criminibus irretitus, qui per appositionem ignis, ecclesiarum incendium diabolo suggeste commiserat: tandem in ultima ægritudine constitutus, se confessus est peccatorem, & accepta pœnitentia de commissis, per manum capellani sui fuit a sententia anathematis absolvitus: sed moriens, ecclesiasticam sepulturam nequivit habere. Quapropter si ita res se habet, fraternitati tuæ, &c. quatenus corpus eiusdem patris I. supradicti, appellatione cessante, facias in cœmterio sepeliri, & heredes eius moneas & compellas, vt his quibus ille per incendium vel alio modo damna contra iustitiam irrogauit, iuxta suas facultates condigne satisfiant, vt sic a peccato valeat liberari.

Idem ex Concilio Turonensi.

Fures & latrones si in furando vel in prædando occiduntur, visum est pro eis non orandum: & si comprehensi & vulnerati fuerint, & presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non denegamus.

C A P. III.

Item Alexander tertius Lucensi episcopo.

De secunda vero quæstione, hoc tuam discretionem tenere volumus, quod propinqui eius, quem pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum iniectione in clericos, in violatione multarum ecclesiarum & incestu, vinculo excommunicationis adstringis, monendi sunt vt pro eis satisfactionem exhibeant: quod si fecerint, quia laborans in extremis, præstito iuramento, per presbyterum * tenuerit ab excommunicatio-^{* f. mo. ruerit}nis sententia relaxari, in cœmterio poterit sepeliri. Si autem propinqui sui tuis acquiescere monitis contradixerint, quia iam non est purgatum peccatum, defuncto neganda est ecclesiastica sepultura.

DE